







PROGRAMMA  
 AD STUDIOſOS  
 PIETATEM SYNCERAM,  
 ET PIAM SYNCERITATEM,  
 ſeriò amplectentes, in Academia  
 Francofurtanâ,

A  
 IOHANNHE HEIDENRICHIO,  
 S. Theologiæ Doctore,

*Publicè propoſitum,*

Cum profeſſionem Theologicam, eam-  
 que ordinariam, legitimâ vocatione, poſt longum tem-  
 poris intervallum, ſecundùm in eâ auſpicaturus eſſet, &  
 de interpretatione ſacræ Scripturæ, deq; adminicu-  
 lis ad eam pertinentibus, nonnulla  
 præfari vellet.

*Menſe Martio, Anno noviffimi temporis*

CID ID CIII.

*Frankofurti*

LITERIS VOLTZIANIS





# IN NOMINE

: יהוה :

## STVDIOSIS COELESTIS SAPIENTIAE

S. D.



Mnium piorum mentibus, perpetuò infixa esse debent, CHRISTI Domini selectissima dicta, tam cætera quævis, quàm Parabolæ duæ, quas hypotyposi, propè nunc instantis extremi iudicij, in sacro Matthæi Evangelio cap. 25. præmisit. Ex his prior quidem est, de decem Virginibus, quinque prudentibus, & totidem fatuis: altera verò de talentis, à servis Domini, cum scænore & fructu copioso usurpandis. Etenim in his rerum maximarum (quod parabolis à Filio DEI enunciatis proprium est) mysteria, sincerum Christianismum, & æternæ salutis nostræ emolumentum spectantia, complectitur. Virginum ergò similitudo, quo ad scopum, fidem unius CHRISTI merito planè nitentem designat, utpotè quæ sola ad Sponsi Ecclesiæ adventum, paratos & formatos nos esse oportet, & quæ per omnia virtutum officia, ceu splendida quædam lampas elucet, adeoquæ delitescere nescit. Ad quem sanè modum eadem fides, si sit ἀνπίεσις, à carnis veterno, quo pñ etiam tardante Sponso obdormiscunt, nos ad vigilantiam, ab illecebris mundi ad morum probitatem, & à securitate ad verum DEI timorem exuscitat, ut expectemus Iudicem è cælo ἀπεροδοκῆτως venturum, utquæ per huius vitæ tenebras, inoffenso pede, in occursum CHRISTO Sponso incedamus, eoquæ modo nuptiis Agni (de quibus solennia ἐπιβίβια & ἐπιφύλακτα Apoc. 19. habentur) interesse nobis liceat. Sic ergò ἀκριβῶς præcavendum erit, ne lampades oleo vacuas gestando, hoc est, genitricis & nutritivæ pietatis, DEO & proximo declarandæ, destituti, verbis quidem Sponsi profiteamur, factis verò abnegemus, ideoquæ perpetuum à laetissimis cælestium nuptiarum epulis, & jucundissimo thalamo, beatæ & æternæ in cælis gloriæ excludamur.

Deinde altera de talentis parabola edocemur, non solum requirantiam vigilantiam, & vigilantem pietatem, sed imprimis etiam invocati-

A 2

one,

one, unicuique à DEO demandata, fidele studium, & studiosam fidelitatem præstandam esse, & ingenij, doctrinæ atque industriæ dona, à summo datore, pro accipientium viribus, alijs plura, alijs pauciora collata, ad multorum utilitatē conferenda, dispensanda, & tractatione usque multo exultanda & augenda esse, sicut verbum ἐργάσασθαι, hoc quidem in loco indicat. Nequaquam igitur vult talentum nobis creditum, defodi in terram & abscondi, hoc est, ocio & turpi negligentia, obrui & sepeliri, sed ad gloriā DEI, & Ecclesiæ, aliorumque hominū evidens comodum, assidue usurpari. Qui hoc modo adveniēti ad iudiciū Domino, fidem suā probabunt, hos tandē remuneratione prosequēdos, & contra ignavos ac securos, omnibus donis privandos, & in tenebras inferni abiiciēdos esse, Veritas ipsa asserit. Idē monet Epiphonema additū: Omni nō habenti dabitur, & abundabit (vel potius reddetur abundantior, sive augebitur, sicut quoque Syriaca interpretatio habet, & Erasmus alibi reddidit, ut de incremento donorum intelligatur) Qui verò non habet, etiam id quod habet (sive ut Lucæ cap. 8. versu 18. dicitur, quod videtur habere) auferetur ab eo. Cum quo & illud Augustini consentit: Dilectio meretur incrementū dilectionis. Dona enim crescunt & augentur in ijs, qui rectē utuntur donis: & contra ab ignavis & ijs, qui veritatis professionem subterfugiunt, eamque adversus lupos, spiritus impostores atque ἀνηλέγους propugnare detrectant, dona si quæ illis concessa fuerant, etiam in hac vita, multoque potius in altera, cum sempiterno ipsorum exitio auferuntur. Quare hinc colligere licebit, quid expectandum sit illis, qui obliti muneris sui, non nisi quietē & ocium, cum dispendio veritatis, & iactura salutis aliorum, in optatis habere solent. Quibus verò etiam in locis sacræ Scriptionis, quæ πνευματικῶς à Christo hic enunciata sunt, verbis simplicibus, ad eum quo, ostensum est modum, graviter præcipiantur, nunc non recenseo.

De his verò eam ob causam, nonnulla à me nunc præmittenda fuerunt, ut intelligatur, cur occasionem, quæ mihi ad Professionem Theologicam, secundū, post tot annos, in hac Academia, DEO ita disponente contigit, arripere, & τὸ πρὸς εὐτίθεσθαι voluerim. Huc accesserunt graves amicorum quorundam comonerationes, è quibus præter alios, anno superiore, ex amplissima quadam Republica, Vir raræ eruditionis & iudicij, ad me, his usus verbis, scripsit: Beatam istam solitudinem, in quam te abdidisti, salutari, ut scribis, consilio, & matura imminentium turbarum prævisione, ita tibi gratulor, si istam mentem, pro tempore tantum sumtam, deinceps rebus quietioribus, ad necessi-

tatem

tatem eorum, qui opera tua indigebunt, referendam esse censueris. Nunquam enim nostra nobis magis blandiri quicquam debet, quam laboriosæ etiam, ad publica commoda spectantes operæ &c. Hactenus vir doctissimus, Communicaveram autem illi, lucubrationes quasdam meas Theologicas, nostræ Confessionis Augustanæ veritatem, adversus Sectariorum, qui sese illa ἐπιπρόσθεν palliarunt, falsitatem propugnantes, quæ elapso anno, approbante Reverendo D. D. Theologorum hic Collegio, typis excusæ erant. Id enim persuasum mihi fuerat, ex his & alijs, quos adhuc ad manus habeo, laboribus meis, ipsum facile perspecturum, me non à statu meo, quod dicitur, demigrasse, & hactenus fuisse otium meum omninò, & adhuc esse negotium, licet alio qui sit χαλεπώτερον χολήν εἰ διαθέσται, ut è sapientibus Græciæ quidam censuit. Vnde intelligo & ipsi nondum satisfieri, mutis eiusmodi libris & scriptionibus, sed hunc eximium Virum, ut & alios cordatos statuere, viva insuper voce (quam Hieronymus quocumque latentem habere energiam, & in aures discipuli, de autoris ore transfusam, fortius sonare indicat) sacras eiusmodi operas, à me debere præstari, quibus exercitandis, & ad publicos usus conferendis, maximam ætatis partem me contrivisse noverunt. Fiat ergò in nomine IEHOVAE, qui vita nostra est, & longitudo dierum nostrorum, quam diu quidem ipsi adhuc visum fuerit, & ipse pro immensa bonitate suâ, mihi vires animi & corporis, integras & salvas esse voluerit. Ac sanè quod ea mihi potissimum spectanda decreverim, quæ voce Servatoris nostri, ut ostensum est, inculcantur, vel inde cuius bono constabit, quod ista quam iterum aggredior functio, cum ijs, quibus ad annos valde multos, mihi alibi beneficium DEI perfrui licuit, vix conferri, certè illis non præferri queat. Quamobrem me tali loco, talenti potius concrediti dispensatio, quam privata rei multa æstimatio, in proposito detinet.

Interpretabor autem hoc tempore, piæ & ingeniosæ Iuventuti, ex priore ad Corinthios D. Pauli Epistola, caput XV. in quo non solum monstrantur fundamenta Articulorum, qui in Ecclesia DEI nunc publice tractantur, sed etiam præter universæ Theologiæ, & vitæ Christianæ finem ac scopum, præcipua & firmissima consolatio, omnibus miserimæ & fugacissimæ huius vitæ adversitatibus, perturbationibus & morti opponenda exprimitur. Id quod de testimonio ipsius Apostoli, cordatis omnibus colligere licet, quando 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. huius selectissimi capituli, haud obscurè edocet, omnia ea quæ in Ministerio verbi, sive viva voce, sive scriptis traduntur, aut etiam in

administrandis Sacramentis suscipiuntur, vana esse & inania, nisi ex resurrectione CHRISTI DOMINI, mysterium de resurrectione nostrorum eorum, in extremo die ac iudicio, ad vitam in caelis beatiorum, indubitatum & immotum statuatur, & ad illud seu scopum, ceteri omnes fidei Articuli, & quæ alioqui ex verbo DEI instituantur homeliæ, lectiones, meditationes, atque administrationes sacræ referantur. Quin verò etiam hoc addit, nisi fides de postremis Symboli nostri Articulis, certa nobis & firma constet, aut si idem cum brutis expectandus sit interitus, nos qui CHRISTVM & Evangelium eius profiteamur, longè miseriore esse, reliquis in orbe, & extra Ecclesiam, populis aut Gentilibus, id negantibus, siquidem nullis aut paucioribus omnino quam illi, sustentamur & vivimus subsidijs & adminiculis, multò pluribus verò concutimur, miseris undique & periculis. Atque cum evidentibus hisque invictis, quæ hoc capite comprehenduntur argumentis, Articulorum istorum certitudo demonstratur, omnino S. Scripturæ, & aliorum mysteriorum DEI tractatio, cum fructu & usu suo salutari conjuncta est, & ideo revera alijs quibusque beatiores sumus. Nam ex hisdem Articulis, adversus quæcumque quantumvis tragica mala, & chironia, quæ sic dicuntur, vulnera animorum efficacia *θεληματα* percipimus, quando illorum fundamentis ac testimonijs in fide obfirmati & confirmati, probè novimus, nos minime ad huius tantum vitæ miserias esse conditos, sed per Filium Mediatorem redemptos, certo post hanc mortalitatem æterna illa vita donandos, in qua junctis denuò animabus & corporibus nostris, ab omni corruptione (quam Adamus primus *χοινος* introduxit) liberati, & nova luce sapientia & iustitia divina (quam Adamus secundus *επιδραμι* nobis acquisivit) illustrati, sine peccato & morte vivemus, ipsumque DEVM, qui erit finis desideriorum nostrorum, sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine ne fatigatione laudabimus. Quas sanè solidas consolationes, sola doctrina Evangelica, hoc capite & alijs comprehensa suppeditat, Philosophia autem penitus ignorat, utpotè quæ vix cicatricibus, non verò vulneribus medetur, sicut Tullius aperte in Epistolis ad Atticum de ea fatetur & conqueritur: Nescio quomodo imbecillior est medicina, quam morbus. Nihil mihi libri, nihil litera, nihil doctrina prodest &c.

Cæterum cum more & instituto Academicarum veteri receptum sit, ut ab initio prælectionum, aliqua Oratio habeatur, ego quod hic olim, & alijs in locis à me observatum est, & ex Orationibus VIII. publicè editis constat, mihi nunc quoque minime prætermittendum censebo,



bo. Ad proximum igitur diem Martis, media IX matutina in Collegio & auditorio majore, aliquid de verâ interpretandi S. Scripturam ratione, & de adminiculis, ad eandem necessarijs præfabor. Nam ex primis quæ inter nos & Pontificios, inde ab initio repurgatæ doctrinæ, controversa sunt capitibus illud est etiam, quod ultrò citroq; disceptatur: Vnde certa doctrinæ fidei & cultuum Norma, atq; genus Sacræ Scripturæ sensus sit petendus? Ac ut de sententia adversæ partis, quæ ejus causa etiam post Colloquium nuper Ratisbonæ habitum, mare coelo, quod dicitur, miscere non desinit, nunc nihil addatur, nos qui Augustinæ Confessioni subscribimus, constanter de altera quæstionis parte, nimirum de Interpretatione S. Scripturæ asserimus, verum & genuinum eius sensum, non aliundè, quàm ex ipsa Scriptura, interveniente Numine & lumine Spiritus sancti, in eadem nequaquam muti, sed sonantis & loquentis, esse inquirendum. Id quod præter alias rationes gravissimas, in primis etiam præclarissimum Apostoli exemplum, in hoc capite, quod *ὁ θεὸς* explicaturus sum, propositum, abundè edocet. Etenim summorum Christianæ doctrinæ Articulorum, veritatem & certitudinem, eorumq; syncerum sensum, non aliundè, quàm ex veteris Instrumenti scriptis, ipse eruit, & à nobis omninò simili ratione, petendum atq; eruendum esse indicat: Nam v. 3. & 4. mirò compendio, maxima Evangelij mysteria complectendo asserit, Christum mortuū esse pro peccatis nostris, secundū Scripturas, & sepultum esse atq; resurrexisse, secundū Scripturas. Quibus verbis ad antiquissima nos oracula, remittit, quæ Gen cap. 3. v. 15, & cap. 49. v. 10 & 11. Iesaiæ 53. capite. Ionæ 2 v. 1. Danielis 9. v. 26. Oseæ 6 v. 2 & 3. habentur. Deinde v. 21. & 22. rursus prima sacrorum Bibliorum capita, altissimè introspicit, ubi syavissimam instituit collationem, primi & secundi Adami, quorum ille per peccatum, mortem & damnationem, super universum genus humanum *πιθικῶς* attraxit: hic verò sufficienti *λύτρωσιν* & potentia sua, nos inde *μεγαλοπρεπῶς* eripuit. Qua de causa mox sequenti v. 25. 26. 27. ex Psal. 8, & 110. dicta valdè luculenter idem testantia subijcit. Adhæc v. 32. proverbium, Epicuri de grege porcis familiare, à Iesaiâ cap. 22. allegatum, multiplicibus absurdis, ex negato resurrectionis corporum nostrorum mysterio consequentibus accenset. Præterea v. 45. 46. 47. 48. 49. uberius illustrem, plenamq; saluberrimæ doctrinæ, primi & secundi Adami, ratione causarum, proprietatum & effectuum, collationem instituendo, modum consequendi rerum spiritualium cognitionem, praxin & usum, ex ipsis Scripturis, nervosè edocet.

edocet. Denique v. 54. 55. 56. 57. Resurrectionis universalis in extre-  
 mo die, ex gloriosa CHRISTI Domini resurrectione dependentis finē,  
 & iucundissimum, adversus longē crudelissimos, quos ibidem assignat,  
 Triumviros ἐπινίκιον ex capite 25. Iesaiæ v. 8. & Oseæ 13. v. 14.  
 ἐπιχαρίτως καὶ λιγυρῶς exponit, De exemplo igitur Apostoli, hic &  
 alibi dicta novi instrumenti Evangelica, ex scriptis veteris, toties con-  
 firmantis, & hæc per illa interpretantis, præclare Origines lib. 3. super  
 cap. 3. Rom. Post hæc verò, inquit, ut ei moris est, de Scripturis san-  
 ctis vult affirmare quod definiat, simul & Doctoribus Ecclesiæ præbet  
 exemplum, ut ea quæ loquuntur ad populum, non proprijs præsumta  
 sententijs, sed divinis munita testimonijs proferant. Si enim ipse tantus  
 ac talis Apostolus, auctoritatem suorum, sufficere posse non credit, nisi  
 doceat in Lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quanto magis nos  
 minimi, hoc observare debemus, ut non nostras cum docemus, sed Spi-  
 ritus sancti sententias proferamus. Hæc Origines, De his autem ube-  
 rius in oratione, quam habiturus sum, monendum erit. Quare Studi-  
 olos pietatem sinceram, & piam sinceritatem serio amplectentes, &  
 impijs Pontificiorum decretis, atq; alijs quorumcumq; ἀντιλεγόντων  
 corruptelis anteponentes, hortor & oro, ut huic recitationi frequentes  
 interese, & sedulo DEVM precari mecum velint, cum de sententia ab  
 ipso semel in Paradyso lata, inter serpentem & mulierem, ac utriusq;  
 Semen inimicitia, eaq; hæreditaria & perpetua sit posita, ut nobis in hac  
 malorum panegyri, à parte benedicti seminis stantibus ac præliantibus,  
 clementer succurrat, & contra, serpentis maledicti, atq; seminis eius, tam  
 virulentiam quam violentiam, pro invicto robore suo contundat,  
 nosq; non tenebrarum, sed lucis, non iræ sed gratiæ, non  
 mortis sed vitæ filios, æviter  
 num esse patiatur  
 V. O.





